

326

324

330

320

335

315

375

275

425

225

Ende

Anfang

311

quievit, quam ubi vivens conversatus est. Atque amplius
movet ad pietatem mortis quam vitae recordatio; puto,
quod illa austerior, haec dulcior videatur, magisque in-
firmitati blanditur humanae quies dormitionis, quam labor con-
versationis, mortis securitas, quam vitae rectitudo. Vita
Christi vivendi mihi regula exstitit, mors a morte redemptio.
Accepta ibi consolatione et indulgentiis cum laeta gratiarum
actione egressi sumus, et ita finem habuit haec processio una
hora ante noctis medium. (Descriptio sancti sepulchri patet
fol. 124. B.) Finita autem processione contraxerunt se pere-
grini per societates ad angulos templi, unaquaeque societas
in suo loco sedens, eramus enim lassi et elaborati, et fecimus
sobriam collationem. Post collationem ad paululum quiescen-
dum reclinavimus capita nostra ad parietem, et in pavimento
jacentes dormitavimus. Ego vero mansi cum fratribus montis
Syon intra capellam beatae Virginis, qui dederunt mihi quie-
tum locum pro dormitione, sed omnino oculum non potui ad
dormiendum claudere. Ideo statim surrexi, et accenso lumine
cum vigilantibus ad loca sancta transivi. Major enim pars
peregrinorum accensis luminibus per omnia loca sancta supe-
rius dicta ad placitum gyraverunt, et nunc huc nunc illuc ex
devotionis spiritu migraverunt. Potest enim peregrinus totiens
quotiens intrare sanctum sepulchrum, et montem Calvariae
ascendere, et in specum inventionis S. crucis descendere, et
ad alia loca, prout placet transire. Major autem devotio et
collectio est in istis singularibus visitationibus sanctorum loco-
rum, quam in communi processione, in qua est magna com-
pressio, et tumultus, et inquietudo, et cantus et planctus;
ibi vero est silentium et quies. Dum autem denuo circuitum
fecisset, descendи in locum inventionis sanctae crucis, et
matutinas meas legi. Multam enim delectationem in eodem
subterraneo loco habui, quia quietus et mihi proportionatus
erat; nam mons Calvariae, et dominicum sepulchrum, et alia
loca superius erant continue plena peregrinis et tumultuosa.
Interea aliqui de Dominis meis et servis eorum discurrebant
per templum superius, lustrantes singulos angulos, quaerentes
me ad confessionem eorum audiendam, nec suspicabantur me
esse in loco. Tandem autem descendentes ad me, eos ibi

